



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Zamorensi, Secobiensi, & Abulensi Episcopis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

idonea, quæ nostro rescripto reperitur inserta, eidem scolari probandi se idoneum nulla necessitas imponatur, cum prima facie præsumatur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur. Testes autem quos utraque pars duxerit nominandos, sive Patroni sive etiam parrochiani sint Ecclesiæ supradictæ, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per distinctionem ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Datum Laterani V. Kal. Maij, anno decimo.

ZAMORENSI, SECOTIENSI,
& Abulensi Episcopis.

PRIORISSÆ ET SORORIBVS DE
Sexen. tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Pudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis accensis lampadibus &c. usque clementer annuimus, & monasterium vestrum, in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub beati Petri & nostræ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam in eodem loco noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentem iustè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Sexenam, in quo præfatum monasterium situm est. Villam novam, Senam, Ontinenam, & Vrgellerum, cum omnibus pertinentiis eorum. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas è seculo fugientes ad conversionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum vestrarum post factam in vestro monasterio professionem fas sit absque Priorissæ suæ licentia, nisi arctioris religionis obrentu, de eo discedere. Discedentem verò absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis &c. usque celebrare. Ad hæc, auctoritate apostolica prohibemus ut nulli liceat in vos vel monasterium vestrum sine manifesta & rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare. Præterea institutiones ab R. quondam Oscensi Episcopo &c. Magistro Hospitalis Empostæ & aliis viris religiosis de assensu karissimæ in Christo filiæ nostræ S. illustris Reginæ Aragonum in ipso monasterio rationabiliter factas auctoritate apostolica confirmamus. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Priorissa, vel earum

Epist. 59.
Conceduntur
privilegia, &
confirmantur
eis libertates &
immunitates.

Epist. 58.
V. M. Magister
I. Scolasticus
Ecclesiæ Palen-
tin. contra Epi-
scopum Palen-
tin. calumnia-
re crimina pro-
ponendo contra
eum processit,
ab officio
& beneficio
suspendatur.

Cap. Cùm di-
ctus De ac-
t. 44.

Cum dilectus filius I. magister scolarum Ecclesiæ Palentin. olim ad sedem apostolicam accessisset, & nobis de venerabili fratre. Palentin. Episcopo suo excessus varios nuntiasset, venerabili fratri nostro. quondam Episcopo Legionen. nunc Archiepiscopo Compostellan. & dilectis filiis. de Vallebona, &c. de Mataplana Abbatibus diocesis Palentin. examinationem commissimus excessuum objectorum. Qui super simonia duplici, dilapidatione, absolutione incidentium in canonem sententiæ promulgatæ, quòdque appellationibus ad nos interpositis deferre contemneret, necnon quòd in manibus suis ultra tempus in Concilio Lateran. constitutum vacantem tenuerit dignitatem, & quòd furtim quoddam subtraxerit instrumentum in quo à jure Canonicorum jura episcopalia distinguntur, & quibusdam aliis, inquisita per testes plenius veritate, inquisitionem ipsam cum depositionibus testium nobis fideliter transmiserunt. Cum autem processum negotij & dicta testimonia examinaverimus diligenter, nec intelligere potuerimus probatum esse sufficienter aliquid de prædictis, eundem Episcopum de consilio fratrum nostrorum absolvendum decrevimus ab objectis, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus memoratum magistrum scolarum, donec canonicè suam purgaverit innocentiam, scilicet quòd non calumniandi animo ad hujusmodi crimina proponenda processerit, ab officio & beneficio suspendatis, ut ceteri simili poena perterriti ad infamationem suorum facilem non prosiliant Prælatorum. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum Laterani V. Id. Maij, anno decimo.